Ustarbowski Raphaëlis: Lacrymae vectigales in Dei hominis nece fusae.

LACRYMÆ VECTIGALES JN DEI HOMINIS NECE, FVSÆ.

PER

RAPHAELEM VSTARBOWSKI,
Jn Collegio Posnań: Patrum Soc: IESV
Philosophiæ Auditorem.

COLLECTÆ.

Anno Morientis DEI Hominis 1655.

POSNANIÆ,

Jn Officina Typographyca Viduæ & Heredum
ALBERTI REGVLI, V. Calend. Aprilis.

IN GENTILITIVM STEMMA.



Cedite belligeri priscâ cum laude Quirites
In quorum pedibus candida Luna nitet,
Nulla Dionæo veniat laus Cæsaris astro
Eclipsim subitò pertulit ille nitor,
Sidera nostra nitent, fera trux fert pectore Lunam
Quis decus, & robur iam neget esse tuum?

ILLVSTRI AC MAGNIFICO
DOMINO,
D. MAXIMILIANO
DE MIASKOWO,
MIASKOWSKI,
Fautori munificentissimo auctor Salutem.

AD Te hodie Apollo meus, non iam de Parnassio colle, sed è Caluarij montis vertice, Heroico attollitur cothurno JLLVSTRIS AC MAGNIFICE DOMINE, *Quid ni enim ingeniosus? inter tam acutos Patientis Dei dolores, quid ni & disertus? inter tam liberales sanguinei fluminis venarũ fontes? Licuit hic illi profectò etiam supra sui ingenij vires audere, & innumera dolorum supplicia, numeris comprehendere, amplissimaq; Amoris Diuini argumenta, humanioris paginæ concludere compendio. Et quanquam, difficile hic erat etiam expeditissimis gemente* VERBO *nõ hallucinari ingeniis, nisi tam crebris singultibus subsistentes, animorum contentiones altissima.*

Cordis Diuini suspiria promouissent; Voluit hic Amor impressos in Libro VITÆ, imitari Vulnerum characteres, vt & paucioribus facile colligeres lineis, quid integerrimo volumine tormentis expressum esset. Prouocauit meum hoc, qualecunq; studium. Tua facillima semper beneuolentia, vt & morem quidem meis gererem desideriis, & Tuæ libens obsequerer humanitati. Et sanè commodissimè. Ex vmbra enim proditura in lucem Pôésis mea, cur lumen aliud extra nobilissimæ DOMVS Tuæ quærat sidera? quæ tantò liberaliùs, natiuum ei communicabunt splendorem, quantò ipsa quoq; suâ sunt augustiora claritate. Contrahere quidem vltro sereniores videntur radios, sed cælo quoq; post extinctum inter supplicia DEVM in luctum abeunte. Scilicet alterâ iam sui parte èclipsata Luna, emorienti in sui sanguinis Oceano, Æterno soli, doloris parentat obsequio, etiam ferocissimo aliàs Animali, nunc placidissimè mitescente. Admitte igitur eâ quam ipse humanissimè aperuisti, Fauoris viâ meum ad te Apollinem, & dum exaggeratum DEI, in hominem demiraberis amorem, meam quoq;, Erga Te animi lege obseruantiam.

Illustris ac Magnificæ Dominationis Tuæ

Deuotissimus.

RAPHAEL VSTARBOWSKI.

INfandum quid Musa iubes renouare dolorem?
Horret quem reuocare animus, luctuq; repugnat
Solus, quem duris genuisset cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæq; admotus ad vbera tygris
Temperet à lachrymis, vultumq; in tanta serenet.
Sed cum tantus amor CHRISTI cognoscere casus
Funestamq; necis, mortisq; expromere sortem:
Incipiam narrare necem quæ causa parauit,
Diuinosq; obitus, & tristia funera, versu.
Poscebant ad fata DEVM plebs durior hydris
Tandem fraudis amans, per fraudem concidat Hæres.
Perpetuò sparsum compleuit dogma furore,
Seu docuit gentes Diuinos dicere ritus,
Siue etiam cum imis, voluit certare Magistris.
Semper falsus erat, clamauit quisq; Propheta.
Factum vt aratra iugo ferrent suspensa iuuenci,
Et vesper celsum, componeret ater olympum:
Exiguam in Cererem violentia adegit edendi.
Instructiq; tori, dapibus cænatur egenis,
Accipit hic panem, fractumq; sedentibus offert:
Ergo agite, & cuncti nostrum celebretis honorem.
Instaurate aras, atq; hæc mea sacra quotannis.
Vrbs Romana velit templis mihi ferre dicatis.
Inde grauem nitidis gemmis, auroq; poposcit.

 Impleuitq;

Impleuitq; mero pateram, quam Petrus & omnes
A Petro discant, tum facta silentia tectis:
Hunc calicem socijq; mei, socijsq; profecti
Ore bibant, nostrosq; velint meminisse labores
Nec dum exempta fames epulis, mensæque remotæ.
Tum DEVS omnipotens socios affatur edentes.
Venit summa dies, & ineluctabile tempus,
Vnus in exitium coniurat transfuga nostrûm,
Væ illi per quem &c. (Sed sibi vel tellus optem prius ima dehiscat)
Obstupuère animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, quid fata parent? qui talia tentet?
Attamen ille silet fraudem, tectusque recusat
Prodere voce suâ quenquam, aut exponere coram,
Ni tandem magnis Iudæ clamoribus actus,
Compositô rumpit vocem, aiens *Tu dixisti.*
Ast vbi perplacidum carpebant fessa soporem,
Corpora, per terras, syluæque, & sæua quierant
Æquora, cum medio voluuntur sidera lapsu.
Corripit è stratis sese Iudaicus hostis,
Sub signis Iudæ; atque irarum fluctuat æstu.
Sic adeo insistunt, secumque ita corde volutant;
En quid agamus? atrox IESVM quæ forma sequatur?
Aut fortuna scelus crudeli funere mergat?
Talia iactanti populo, variumque loquenti.
Fraudis, siue doli genus, & scelus omne struenti;
Non tulit hanc speciem sceleratæ mentis Iudas

Durior ante omnes, nullo comitante ſodali
Ardens ad turbam, CHRISTI deſcendit ab æde.
O mortis cupidi, quæ tanta inſania Ciues?
Tradere dona iubete, mihi fas tradere CHRISTVM
Talibus eſt Iudas, cuncti ſimul ore fremebant
Dauididæ magnisque implebant pectora votis.
Hortamur fari pretij quantum optat, & auri?
Ocyus & viles, pretium ſtat ferre peculi
Nec non præcipuos ductori promere honores,
Hoc virtutis opus malè ſanus habebis Iudas
Audijt impoſtor populi promiſſa fauentis
Sicque ait ad viles animas; quam nobilis auſus
Mercedem referet? terdenum præminet aurum.
Non humiles Iudæ conatus, tum rude vulgus
Conſensêre animis ferales tradere nummos.
Tanto diuinum caput heu venundaret auro:
Iamque adeo diues donis, opibuſque ſuperbus,
Ardet amans, nimium raptatque per oſſa furorem,
Impius, infelix, atque auri cæcus amore,
Multa malus ſimulans expectat funera IESV.
Tum verò incumbunt: vrget præſentia Iudæ
Atque omnis populus facibus iam accingitur atris.
Diripuêre focos, piceum fert fumida lumen
Tæda, & commiſtam vulcanus ad aſtra fauillam,
Obtulit amplexus, atq; oſcula fellea fixit,
Oſcula quæ ſtygio fuerant impleta veneno;

 Atq;

Atq; vbi complexu IESV, colloq; pependit.
Accurrunt cuncti, hunc oculis, hunc pectore toto
Ardentes facie, suffusi Sanguine, & igni.
Tanquam ad latroné venistis comprehédere me. Tum magis, atq; magis, contendit miles in armis.
Clarescunt sonitus, armorumq; ingruit horror.
Murmure consurgunt, linguis vibrantibus ora,
Scuta virûm, galeasq;, & noxia pectora torquent.
Hos vt primum oculis summi Regnator olympi
Conspicit, & turbæ molem miratur in armis
State ait, & quæ causæ viæ? quiue estis in armis?
Quoue tenetis iter? quæ tandem causa subegit
Hos cursu tentare locos? quo tenditis? inquit?
Qui genus? vnde domo? pacemne huc fertis? an arma?
Olli flammato respondet corde Minister.
Nazarena tulit IESVM quæ terra nefandum.
Hic doctus nostram est non rarò fallere dextram.
Tum sic dicentem alloquitur cunctisq; repente
Improuisus ait coram, me quæritis? adsum.
Dixit, & auertens rosea ceruice refulsit.
Ambrosiæq; comæ diuinum vertice odorem
Spirauêre, pedes vestis defluxit ad imos.
Et verus gressu patuit DEVS, at nihil ipsis
Obfuit insignis vertex, nec splendida vestis
Nec mora, & ecce DEVM rapiuntque, ruuntq; per omne
Turba nefas, DEVS ecce DEVS, fit meta dolorum.
Illum in vincla petunt, rigidis & funibus aptant.
Non

Non secus ac Iunonis opem, dum traderet olim
Aeolus, & ventos deuinctos carcere soluit.
Vnâ Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, atque illi voluunt ad sidera fluctus.
In diuersa ruunt socij, pars tendit in vmbras
Pars latitare studet, pars se post tecta recondit:
Diffugiunt alij ad sepes, & limina cursu
Fida petunt, pars ingenti formidine pressa
Scandunt rursus iter, notoque tenentur in antro.
Vnicus è cunctis fatis melioribus vsus
Petrus in arma vocat, turbæ reparatque repulsam.
Nunc animis opus est Petro, nunc pectore firmo;
Sic ait illachrymans, humero simul induit ensem.
Tandem seu subità, trepidus formidine ferrum
Extrahit, extensamq; aciem venientibus offert.
Illius ferrum Malchi tum senserat auris
Totaq; sanguineo succisa mucrone remansit:
Sed maiora vetat Christvs, stetit acer in armis
Bellator voluens oculos, dextramq; repressit.
Bis fuerant Christvm conati tangere dextris
Bis duræ cecidêre manus, bis corpora terram
Amplexata fuêre, furor tamen arma ministrat
Assumunt vires, prædamq; in vincula cogunt.
En manibus Christvm interea post terga reuinctis
Ad dirum raptant, magnis clamoribus Annam.
Vndiq; visendi studio Iudæa Iuuentus

Circumfusa ruit, certantq; illudere CHRISTO
Namq; vt conspectu in medio submissus IESVS
Constitit, atq; oculis rabida agmina circumspexit
Heu quæ nunc facies inquit, quæ pectora sacrum
Accipiunt pectus Genitor? manibusq; cruentis
Virgineas ausi (o crimen) contingere dextras?
Hæc vbi dicta dedit, vi carceris ostia scandit
Qui spelunca fuit vasto summota recessu
Semihominis facies coluit quam dira Barabbæ
Antrum erat obscurum, quo non informius vllum.
Hoc conclaue DEI, fuit hæc, & regia CHRISTI.
Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemq; elatis naribus efflant.
Certatim sese populi exhortantur in arma.
Sistite, funestamq; animam, mox sistite CHRISTVM
Plebs, Annasq; simul clamosè turbidus inquit.
Fare age, si Supêrum fueris tu CHRISTE propago.
Ille hæc deposito tandem DEvs ore profatur.
Cuncta equidem Præses tibi. sunt quæcunq; fatebor,
Vera inquam, neq; me supêrum de sede negabo.
O scelus exclamat! verbis crudelis Apella,
Hoc alij faciunt, sequitur quos cætera turba
Dentibus infrendent alij, nec saxa, nec vllum
Telorum interea cessat genus, æstuat ira,
Stipitis hic grauidi nodis, quod cuiq; repertum
Rimanti

Rimanti telum ira facit. vocat agmina Malchus
Quadrifidam quercum cuneis vt forte coactis
Scindebat raptâ ſpirans immane ſecuri.
Eſt auſus nomen falsò vſurpare Tonantis:
Hinc de dogmatibus CHRISTI, ſociiſque recurrit.
Pontificis ſermo, quærenti fatur IESVS.
Si tibi quæ docui cordi ſunt, quærito ab illis
Per quorum doctrina attentas iuerat aures
Atque ita neſcio quis fariarum natus in antris,
In vultumque DEI colaphum funeſtus adegit.
Delectos populi ad proceres tandemque Caipham,
Ritè Deum referunt, & quæ ſententia poſcunt.
Mitior haud quaquam damnator mente Caiphas
Omnia quæ primus letho damnanda putauit,
Damnat, & infelix multò grauiora reponit
Durius haud illo monſtrum, nec ſæuior vlla
Peſtis, & ira hominum ſtygijs ſeſe extulit vndis,
Non tamen hic metam ſtatuit, finemque dolorum,
Protinus Herodi curſus torquetur amaro
Inſtruit hic animum dictis, atque aggerat iras,
Oſtia iamque domus patuêre ingentia centum.
Obuiat Herodes magnâ ſtipante caterua
Siſte gradum, teque aſpectu ne ſubtrahe noſtro,
Quo ruis? extremum fato quod te alloquor hoc eſt,
Non pudet ô fictor CHRISTI confingere nomen?
Cum te vox hominem ſonet, & frons indicat ipſa,

Iam ſine fraude refer, quis ſis? age CHRISTE libenter
Pænas, flagra vides, nulla hic exire poteſtas.
Vt me non finxi IESVM præſente Caiphâ
Nunquam vanum etiam, mendacemque hic modo fingam,
Sum DEVS æterni ſoboles æterna Parentis;
Deſuper Herodes telis premit, omniaque arma
Aduocat, & pugnis, vaſtiſque molaribus inſtat,
His agitur furiis, totoque loquentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis
Mugitus veluti cum prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque iraſci in cornua tentat.
Arboris obnixus trunco, ventoſque laceſſit
Ictibus & ſparsâ ad pugnam proludit arena.
Non minus ille tamen rabidi feruore mouetur.
Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpæſia cautes.
Ducite conclamat lictorum turba Pilato
Extorquere nihil poſſum tam pectore duro.
Non minus ac iuſſi; CHRISTVS raptatur in ædem.
Præſidis, atque infame ſubit conclaue Pilati:
Concilium horrendum capiunt quo funere IESVM
Deſignent morti, & pellant de corpore vitam.
Omnibus idem animus, mens, omnibus vna voluntas,
Iudicio fiunt, & ſenſu quattuor, vnus.
Vt CHRISTVS primo cæſus, poſt funera carpat.
Mille ſubornati iurant mendacia teſtes,
Sæpe nimis ſegnes, cupidi dixêre miniſtros

Sæpe

Sæpe nimis longum clamabant currere tempus.
Cæditur ad truncum manibus post terga ligatis,
Pars sacra crudeli protundit membra flagello
Exercent vires, infligunt tergore pœnas.
Expediunt rigidis horrentia flagra vepretis.
Pro se quisque manum probat, ingentesq; lacertos.
Scorpius hic rigidis corpus discerpit acutis,
Hic nerui, hic funis grauiori tunditur ictu
Plaga facit plagam, vibex vibice resultat,
Nec mora, nec requies, fessos subit alter, & alter.
Vapulat hic virgâ, rursumque hinc vapulat astu
Nondum completis damnis iam iussa sequuntur
I miles, lacera, hos totos immaniter artus.
Ocyus Ausonij properant ad iussa manipli
Verbera dant verbis, feriunt sed verbere plagæ
Verberibus locus ante deest, quam verbera, flagris.
Flagra reponuntur, moriturque in vulnere vulnus.
Non ita supremis descendit montibus amnis,
Aspera quem primo soluit de frigore bruma.
Non ita tecta sonant, largo cum Iuppiter imbri
Frigore concretas supere iaculatur abyssos,
Quam fluxit sacro CHRISTI de corpore sanguis,
Sanguis, & alterno sequitur cum sanguine corpus.
Voluitur ille cadens lasso, de corpore totus
Frigidus, & longis singultibus ilia pulsat
Diuersi circumspiciunt: hoc acrior alter

 Sanguis

Sanguis vbique fluit, pectus, per tempus vtrumque;
Sæuit atrox tortor, cæstus nec contrahit vsquam,
Discussasque comas capitis; nec sufficit istud
Genûa labant, fessos quatit æger anhelitus artus,
Luctus vbique, pauor, tum plurima mortis imago.
Interea pauidam volitans pennata per auram
Nuncia fama venit, Matrisque allabitur aures.
Excussi manibus radij, reuolutaque pensa,
Prima petit non illa virûm, non illa pericli.
Telorumque memor, cælum dehinc questibus implet.
Nunc ego te Fili aspicio? tu ne illa voluptas
Magna mea? ô tu me potuisti linquere Matrem?
Fili nec iam te sub tanta pericula missum
Affari extremum miseræ fit copia Matri?
Quo sequar? aut quænam hæc artus? auulsaque membra?
Et corpus lacerum, tellus habet? hoc mihi de te
Nate refers? hic ille vigor? frontisque venustas?
At neq; eos iam Virgo Parens, nec fletus amarus
Non sanguis prohibet, sermo non ipse retardat.
Accingunt sese rabidi Christoq; sinente.
Compungunt humeros, humeros iterumque fatigant.
Dilaniant costas, diuinaque brachia nudant,
Rore madent dextræ, pectusque, caputque, pedesque,
Heu dirum facinus, pœnis non pectora digna.
Tantis, non tanto sunt dignæ pectore pœnæ.
Qui mundum aduentu voluit saluare peremptum,
Indigna

Indigna à mundo damnari morte paratur.
Nec dum etiam causæ irarum, sæuique furores
Exciderant animis, stant multi in damna parati:
Mille nocendi artes: Christo non sufficit vna.
Non sic fert rostris immanis vultur aduncis
Immortale iecur, tundens fæcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore, dum fibris requies datur vlla renatis.
Vt male sana manus lictorum vulnera quærit.
Squalentem barbam, & concretos sanguine crines.
Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit solymis, Passus, flens ipse videbar.
Compellare Devm, & mæstas expromere voces.
O lux! ô hominum vigor! ô spes vnica mundi
Quæ te? quæ lacerare manus? quibus almus ab oris.
Expectate venis? quod te post multa malorum.
Terrores, variosque hominum? Iudæque furores
Flentes aspicimus? quæ causa indigna serenos
Fædauit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
Ille nihil questus, nihil & mea vota moratus
Sic grauiter gemitus imo de pectore duxit,
Heu me fata tua, & scelus exitiale periclis
His mersère malis, satis est miserabile dictu
Non locus vllus erat, sacro non corpore venæ
In quo non liuens vibex, sedeatque cicatrix
Tercentos vidi consertos ictibus ictus

Vulnera non tercenta, aſt millia vulneris octo
Millia quæ magnis nunquam venêre Mycenis.
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat vſque morari
CHRISTVS nullus homo, falluntur lumina viſu
Erraſti Pilate vocans mortalibus vnam
Eſſe Dei formam, & mortalis nomen habere
ECCE HOMO dixiſti, toties his vocibus vſus
Quid memorem Herodem nequam? Annam? quidue Caipham?
Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti:
Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprêndere formas
Omnia pænarum, percurrere nomina poſſem.
  Ergo iam finis CHRISTI iam meta dolorum?
Nondum finis adeſt, nequaquam meta dolorum,
Albis indutum cupiunt offerre Pilato,
Stat caſus renouare omnes, omnemque reuerti
Per ſortem, rurſus caput obiectare perîclis.
Ergo iter incæptum peragunt, foribusque propinquant;
Ad quos ſe Prætor prægrandi mole ferebat,
Crimine iam maculare nouo, iam ſpargere voces.
In vulgum ambiguas, & quærere fila Sororum,
Omnes ex pacto digna, atque indigna, relatu
In CHRISTVM referunt, & criminis eſſe nocentem.
  Si meruit proferte ſcelus, meruiſſe putabo
Quid non commeruit? norunt, clamantque ſceleſtum,
(Cur alias mentes? quæ iam vltra dogmata poſcis?)

Vrbs

Vrbs Solymæa, DEVM morti decerne precamur,
Tum verò magis, atq; magis crebreſcere murmur,
Fige cruci corpus, IESVM confige nefandum,
Et cruor, & ſanguis ſupra nos decidat eius
Et natos natorum, & qui naſcentur ab illis.
Tum timidus Iudex cedendum eſt ergo furori
Criminis eſſe rerum ſtatuit, mortiſq; Tonantem
Dent manibus famuli lymphas, procul auſibus iſtis
Ingeminans, tonſiſq; ferant mantilia villis
Stultitia, id facinus delendum fonte putauit,
Quod neq; ſulphureis Cocytus proluet vndis.

Pontius in ſolymis, Iudex ego ritè Pilatus,
Tiberio ſupplex precor omnia fauſta Neroni;
Præſens iudicij noſtri cum faſcibus eſſem,
Iuſtitiam cunctis, & debita iura daturus:
Eſt IESV Nazareni mihi cognita cauſa:
Quem vinctum nobis ſiſtit Iudaica turba.
Iudico ſic, Rhadamantiaq; exequor inde trophæa,
Quandoquidem verbis ſe fecerat ille ſuperbis,
Eſſe Deûm ſobolem, magnum Iouis incrementum
Quamuis ſit pauper, de ſemine natus egeno
Nec non rumpendam Salomonis dixerat aram:
Damnetur: ſocius latronibus ille duobus.

Illic è vepribus cinguntur tempora ſecto
Sentibus in nodum implicitis, & mille figuris,
Hoc primùm capiti connexuit atra tyrannis,

Mille dedit ſectum punctus, & vulnera mille
Prôh dolor impactis penetrantur tempora vittis.
Magnaq; ſanguineis madefiunt imbribus ora,
At nondum potuit iuſtam pertingere metam,
Percutit ingeminans, ictus numerauit arundo,
Sponte cadunt carnes, velluntur ſponte capilli,
Et ſacri ſacro viduantur vertice crines:
Hêi mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo?
Iam non illa patet facies pulcherrima CHRISTI;
Non oculi, vultuſque, decor, non forma comarum.
Omnia ſqualor habet, miſcentur ſanguine cuncta
Dant manibus ſceptrum, ſceptrum fuit illud arundo.
Ridentes coram contingunt poplite terram
Salue Rex populi Iudææ maximus Autor.
Succedunt alij, *Quem das Rex magne laborem*,
Tertia turba venit, quam curæ, iræq; coquebant
O quem te memorem IESV? namq; haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat, ô DEVS alme.
Aſpicis hæc? eheu Genitor qui fulmina torques
Qui lare ab æthereo, cæcos & nubibus ignes
Demittis populis, & vibras tela triſulca,
Sic pietatis opus, ſic CHRISTVM in ſceptra locatis?
Gens trux, dira, ferox, nutriti lacte ferino:
Hic eſt cauſa piæ vitæ, hic eſt cauſa ſalutis
Cur DEVS, ô homines. patitur diſcrimina tanta?
Hoc cernens Iudas lachrymis madefactus obortis
Tollit

Tollit ſacrilegas, ſed ſurda ad ſidera palmas
Vos æterni ignes, te lingua ſupplice magnum,
Teſtor numen ait, vos arma, enſeſque nefandos
Quos ſtruxi, rapuiq́ue Devm, qui hoſtilia geſſi,
Fas ſit Diuorum violata reſoluere iura,
Fas odiſſe viros, atque omnia ferre Magiſtro,
Me, me, adſum qui feci in me conuertite pœnas.
O populi, mea fraus omnis nihil ipſe, nec auſus,
Nec potuit: cælum, atque hæc ſidera conſcia iuro
Funeris huic ego cauſa fui, heu miſerere Magiſtri
Turba precor, nuperq; datos iterum accipe nummos,
Proiicit ante pedes, populi data munera Iudas.
Olli ſubridens irato corde Sacerdos.
His lachrymis vitam damus, & miſereſcimus vltro;
Mens immota manet, lachrymæ voluuntur inanes,
Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quidquam,
Dulce meum, miſerere mei pereuntis, & iſtam,
Oro (ſi quis adhuc precibus locus) exue mentem.
I ſcelus, I nequam melioribus vtere fatis
Tum verò inuiſus populis deſperat Iüdas.
Mortem orat, tædet cæli conuexa tueri,
O mihi præteritam referat ſi Iuppiter horam.
Non ego, nunc dulci amplexu diuellerer unquam.
Sic fatur lachrymans, collum ſtringitque catenâ.
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.
Tum celeri curſu celeres ad limina tendunt.

Triſti-

Triſtibus & Parcis deſignant candida membra.
Lignum fertur atrox, ingenti mole paratum,
Inditur hoc humeris, gemuit ſub pondere Christvs,
Nunc cadit ad terram, terrâ rurſuſque reſurgit,
Ingenti facies manat ſudore cruento,
Hi properare iubent, & cogunt ante ruentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora furêntum,
Fæmina miſta viro, concurritur agmine denſo.
Ille duces labens vadentes paſſibus æquat;
Iamque adeo exierat portis equitatus apertis;
Stant auidæ in muris Matres, oculiſq; ſequuntur.
Quantum acie poſſunt, oculis ſeruare ſequentem
Puluerulentam aciem, & portantis pondera Christi
Per loca ſaxoſis, Christvs tendebat arenis,
Per colles, per cliuos, itque per ardua montis
Iesvs; hinc decies diuum caput ima petiuit.
Interea celſi ſatìs alta cacumina montis
Luſtrantur, propiusque loco pes figitur illi.
Eſt data tantiſper ſtandi pauxilla poteſtas,
Reſpicit, & quæ ſit circum ſe copia luſtrat,
Aduertit flentes, multas ex ordine Matrum.
Flere ſuper me (ſic reſpondit) deſine turba,
Flete ſuper natos, & pignora veſtra Parentes.
Nondum finitis monitis ſermonis Iësv
Qui finis ſtandi? quo nos decet vſque teneri?
Non hoc iſta ſibi tempus retinacula poſcit,

I ſequere

I ſequere, vrgemus veſtigia noſtra nefande.
Iamq; aſcendebant collem, qui plurimus illi
Imminet, & ſignat ſignis. *hic terminus hæret*.
Hinc, atq; hinc, vaſtæ rupes, geminique minantur
In cælum ſcopuli, noua ſtant duo ligna parata,
Centum carnifices exercent funera mortis.
Funereâ IESVM venientem voce ſalutant,
Deponuntque humeris, vitalia pignora ligni,
Veſtis erat, veſtis materno texta labore
Hac nudare DEVM conantur viribus omnes,
Veſtis erat carni ſpiſſo coniuncta cruore,
Et concreta caro ſtringebat corpore veſtem.
Inter nudandum à terrâ raptatur in auras,
Rumpuntur venæ, membrorum fruſta trahuntur.
Totus erat liuor, totuſque in vulnere vulnus,
Totus ſanguineo manabat flumine IESVS
Nec poterant cerni diui præ fontibus artus.
O dolor, ô lachrymis ſpectacula digna ſupremis.
Poſtremò clauis depromptis vltima vota
Reddere turba parat. (quam ſit mirabile dictu)
Clauatis pedibus, ligno dextriſque refixis,
Funibus iniectis, crux per vim fertur in altum.
Tum primùm ſanguis commotis partibus ibat:
Huccine mortalis progreſſa audacia? & iſtas
Auſa forare pedes? configere & auſa ſiniſtras?
Haſne manus? quæ tot per monſtra, ægriſq; ſalutem,

Et iam defletis reparabant gaudia votis?
Interea ille rudem nodis & cortice crudo
Intorquet summis adnixus viribus hastam
Longinus lateri, fluxitq; exterritus amnis.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus,
Labitur hic moriens atq, illi in partibus æquis,
Huc caput, atq; illuc, humero ex vtroq; pependit
Dilapsus calor, atq; in cælum vita recessit.
Eripitur subitò nubes, cælumque, diesque:
Eximprouisò tristis nox incubat orbi
Intonuêre poli, crebris micat ignibus æther;
Nam neq; erant astrorum ignes, nec lucidus æthra
Pascebat polus, obscuro sed nubila cælo,
Et lunam in nimbo, nox intempesta tenebat
Dat tellus gemitum, naturam mutat olympus.
Nunc ò mortales ad CHRISTVM tollite vultus
En pendet, radiis longè solaribus aret
Lumina per flammas, exusta profundius hærent.
Defluit omnis honos oris, decor atq; genarum,
Ora sitim sitiunt, radiis flagrantia Phæbi,
Dextræ cum pedibus tenduntur tendinis instar;
Liuidus est totus, liuor premit omnia membra,
Sunt lachrymis, sunt perpetuo spectacula riuo,
Immanesque obitus digni sunt fonte perenni.
Flete DEVM imberbes pueri, iuuenesque, senesque,
Ex oculis cuncti largas demittite guttas:

Flete

Flete DEVM Matres, nuptæ, innuptæque puellæ;
Pontificum trabeæ, & sacræ lugete tiaræ,
Flete DEVM syluæ, campique, lacusque, fretumque,
Marmora, saxa, DEVM lugete volucria vestrum,
Et mersa æquoreis animalia flete lacunis.
Totus, & æternis moriatur fletibus orbis.

